

derant, virum quarant & genere & probitate conspicuum, au-
toritateq; praestantem, cui libros dedicent, consecrent & com-
mendent: quorum patrocinio maleuolorum omnia ridentium,
& vel margaritas porcorum more calcantium, & calumniam
& inuidiam effugere se posse confidunt. Quae me causa im-
pulsit, ut Commentarios in Diuum Mathaeum primum Euan-
gelistam, quos amicorum hortatu in lucem edere statueram, ti-
bi potissimum dedicarem. Nec enim ullus commodior pa-
tronus, gratior, & dignior occurrebat. Eligant alij sibi Re-
ges, si uolunt, eligant Imperatores, tu unus mihi instar es om-
nium, te quem meum mihi constituo Meccenatem. Quid enim
in te desiderem, cuius inclyta nobilitas est, autoritas maxima,
prudentia singularis, sapientia incredibilis, amor in me non
vulgaris? Quid de probitate & virtute loquar? quid de pie-
tate erga Deum? quid de Christiana religione? Non hic ne-
cesse arbitror tuum genus commemorare, & ab illis heroibus trit-
tatis atq; tuis repetere, quorum opinio cunctorum animos,
mentesque compleuit, quorum splendor aciem perstringit ocu-
lorum. Quae tua prudentia sit, à Philippo Rege honores tibi
decreti, prouincia mandata, & negocia commissa declarant.
Res magnas iam inde ab adolescentia gessisti, nunc istius reg-
ni procuratore distineris, breuiq; spero futurum, ut Rex no-
ster te ad maiora promoueat. Restat sapientia, literarumq;
intelligentia diuinarum, in qua ita excellis, ut tuo sis parente ma-
ior, quem scimus non modo genere & maiorum claritate sed
etiam literis & eruditione fuisse perillustrem. Qui si uiueret,
te tali ac tanto filio iure posset, ac merito gloriari. Si enim, Salo-
mone teste, gloria patris est filius sapiens, cui esse dubium potest,
quin ex tua eruditione atque doctrina incredibili pater ille tuus
animo caperet voluptatem: seq; à te uinci facile pateretur? Quae
me certe ratio ab illorum accusatione defendit, qui mecum hoc
consilium